Radzki Ioannis: Quaestio theologica de lumine gloriae.

In Nomine Domini Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA DE LVMINE GLORIÆ,

Ex 1. parte Summæ Th. S. THOMÆ Doctoris Angelici.



A

M. IOANNE RADZKI,

S. Theologiæ Professore, Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis Canonico, Collegiatarum SS. Omnium Præposito, S. Georgij Custode, & Curzelouiensi Scholastico, S. R. M. S.

PVBLICE AD DISPVTANDVM Pro Loco inter Sacræ Theologiæ Doctores & Professores obtinendo.

PROPOSITA.

Anno Humanæ Salutis, 1679.

Lectorio DD. Theologorum.

Die 18 *Mense* Octob *Horâ* 14

PERMISSU SUPERIORUM.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE LVMINE GLORIÆ.

VTrum Lumen Gloriæ habitualiter corroborans intellectum creatũ ad videndam ſicuti eſt Dei eſſentiam, ita in Entitate ſua; ſit neceſſarium Beatis? vt abſq; illo, nullatenus poſsit fieri Viſio Beatifica, tã in actu productis, quàm in de poſsibili producibilibus creaturis? nec ne?

CONCLVSIO I.

Lumen gloriæ eſt qualitas habitualiter corroborans intellectus creatos beatorum in Patria.

COROLLARIA.

I. Quamuis pro ſtatu hoc ſufficiat viatoribus lumen naturale intellectus creati ad cognoſcenda obiecta naturalia abſtractiuè, tamen ad cognoſcendum Obiectum ſupernaturale non ſufficit, maximè ad intuitiuam cognitionem.

II. Sicut natura non deficiens in neceſſarijs naturaliter intelligentiam primorum principiorum quoad ſpeculabilia, & Syndereſim quoad practicabilia infudit hominibus: ita vltimatè infundet quiddam aliud ſupernaturale, ex Hypotheſi decretæ beatificationis hominum.

III. Lumen gloriæ, licet ex mente aliquorum Sanctorum Patrum videretur debere dici obiectiuale, tamen poſt Concilij Vienneſis in Gallia contra Beguardos & Beguinas decretum, ſubiectiuale in intellectu creato tenendum eſt.

IV. Hoc lumen cum ſit Ens creatum, non motio quædam extrinſeca actualis Dei, ſed veriùs qualitas habitualis, intellectui beatorum quaſi connaturaliter immanens, eſſe; rectè dicitur à Theologis.

V. Suppoſita ex mente Philoſophorum aliquali beatitudine & naturaliter aſſequibili à felici Cræſo vel Epicurro v.g. *in ordine ad ſupernaturalem beatitudinem, verè & defacto obtinendã, homo ex puris ſuis naturalibus, remotè duntaxat & non proximè beatificabilis apellari poſſet.*

CONCLVSIO II.

Multipliciter contingit posse videri Deum ab hominibus: ad videndam tamen Dei essentiam sicuti est, omninò necessarium erit, aliquid aliud incorporeum; quod pro hoc statu nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit iuxta scripturas Canonicas.

COROLLARIA.

I. Nihil infra Deum potest hominem obiectiue acquietare ita vt satiet eius appetitum, sublatâ tendentiâ in plus vltra appetibile.

II. Licet naturaliter desideret homo felix & beatus esse, seu vere, seu apparenter, ad hoc tamen desiderium consummandum sine speciali auxilio Dei pertingere nequit.

III. Temerarium est asserere, quasi intellectus creatus merè passiuè se habeat ad eliciendam visionem beatificam ob superadditum sibi lumen gloriæ.

IV. Si ex Hypothesi daretur aliqua species Deitatis impressa, intellectui beatorum, hæc nunquam posset representare Deum sicuti est in Hypothesi scripturarum.

V. Hinc videre Deum facie ad faciem; non oculis corporeis, sed intellectui, nec omnibus promiscuè, sed solis perfectè beatis, in Patria datur: an autem Paulo in raptu, aut Moysi in alloquio Dei concessum fuerit? (vt aiunt per modum transeuntis) problema esto.

CONCLVSIO III.

Tàm Angeli beati, quàm homines, iuxta mensuram meritorum accipientes lumen gloriæ; defacto sic eleuati perfruuntur visione beatifica, prout ordinario modo Deus creaturas gubernare decreuit.

COROLLARIA.

I. Certum est Angelos vt potè intelligentias separatas à materia, perfectius cognoscere Deum: attamen etiam ipsi ex puris suis naturalibus visionem beatificam nevtiquam consecuti sunt.

II. Licet de potentia absoluta non implicet per concursum specialem Dei posse beatificari sanctos, conformius tamen rectæ rationi asseritur infusum eis lumen quoddam esse, ceu principium Quo, in actu primo intellectus creatus completur ad eliciendū actū beatificū.

III. Deus gloriosus vti Ens infinitum simpliciter, beatus est naturaliter per essentiam suam: sed Angeli & homines vti sunt Entia per participationem, ita beati euadere possunt per gratiam vti pignus & semen gloriæ.

IV. Incipit quidem homo viator, per multas operationes liberas pro hoc statu beari, sed in patria, vno actu, forsitan circa vnum obiectum interrupto, beatitudinem suam perficiet ex probabiliori sententia.

V. Quia ſpecies rerum ſunt ſicut numeri, idcircò gubernatio creaturarum non poſtulat vt in eis Deus omnia faciat optima, ſecundũ poſsibilitatẽ, ſed ſufficit vt faciat bona iuxta proportionem decreti ordinis vniuerſi.

CONCLVSIO IV.

Etiam de poſsibili nulla pura creatura producilis eſt à DEO talis, cui deberet eſſe connaturale lumen gloriæ.

COROLLARIA.

I. Data quauis multitudine creaturarum in infinitum multiplicabili, repugnat tamen peruenire ad vltimam ſimpliciter dabilem, ita vt eâ maiorem aliquam ſpeciem, vel paſsiua potentia rerum, vel actiua Creatoris quaſi exhauſta, nequeat producere.

II. Rectè producibilitatem accidentium ſupernaturalium, Theologi admittunt; ſubſtantiam tamen ſupernaturalem quidditatiuè, merito negant, poſſe produci.

III. Connaturalitas perfectionum in creaturis, ordinarie petenda eſt ex debito ſpecifico coördinationis prædicamentalis Ariſtotelicæ, idq́ non præcisè iuxta exigentiam ſpecificam naturarum, ſed potius ex libero decreto Creatoris.

IV. Hinc quidquid in naturis creatis à Deo productũ cernitur, regulariter eis competit vel ratione Generis ſui, vel ratione ſpeciei, vel ratione Differentiæ, vel ratione Proprij, vel ratione Accidentis Porphyriani.

V. Solus Deus glorioſus cum ſit Ens neceſſarium, & extra genus Cathegoriæ cuiuſuis: ex vi naturæ talis, illimitate ei debetur omnis perfectio poſsibilis. Cui laus & gloria ab omni Creatura in æternum Fiat Fiat.





Sub Felicibus Auſpicijs

Magnifici Perilluſtris & Admodùm Rn̄di Domini,

D. ALBERTI DĄBROWSKI,

S: Th. Doctoris ac Profeſſoris, Decani S. Floriani, Senioris Patris, & Generalis Studij Academiæ Cracovienſis

RECTORIS Vigilantiſsimi.

